



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Quomodo vna persona dici possit maior alia, non dignior, aut perfectior. c.
5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

singulusquisque non est aliud, quam summe simplex unitas.

Prima solutio huius ultimi argumenti refellitur.

Respondent nonnulli, ideo non esse unam relationem magis perfectam, vel maiorem perfectionem, quam sit altera, quia utraque formaliter includit essentiam in suo conceptu. Sed contra hoc est primum id, quod supra disput. 121. cap. 2. diximus, nimirum essentiam non includi formaliter in conceptu relationis. Deinde, etiam si includeretur, nihilominus cum tres dicantur in Deo esse perfectiones, & inter se diuersæ, & contrariæ sint, non poterunt non esse inæquales, & una altera maior, quatenus inter se sunt diuersæ, & oppositæ: nam hac ratione non possunt habere unitatem in quantitate perfectionis, quæ facit æquale. Respondent alij, non opus esse, ut ea, quæ specie, & ratione formali differunt, semper sint inæqualia: neque putant absurdum, species rerum, quæ inter se differunt, esse æqualis perfectionis. Verum cum omne æquale sit alteri æquali commensurabile, eo modo, quo æquale est, & ea, quæ sunt diuersæ rationis, nequeant commensurari, falsum est asserere, aliqua specie distincta posse esse æqualis perfectionis: perfectum, quia eo ipso quod diuersæ rationis sunt, diuersam quantitatem perfectionis habent; ac proinde inæqualitatem perfectionis habere debent. Quare Aristoteles 4. Metaphys. cap. 8. tex. 18. ostendens inter falsa quoddam maius esse, quoddam minus inquit, *Sic itaque non similiter, pater, quod alterum minus, hoc est, si ille qui dicit, quatuor esse quinque, non eodem modo mentitur, atque ille, qui dicit quatuor esse mille, sequitur, quod alterum sit minus falsum.* Hac eadem forma arguendi in præfenti vii possumus hoc modo: paternitas non est eiusdem rationis, atque filiatio, ergo non est similis ei: ergo altera maior est.

CAPVT III.

Quando una persona dici possit maior alia, non dignior, aut perfectior.

Decipitur Clichouæus dum asserit Patrem principaliter rem esse quam Filium. Falso cum aliqui exphrasant Græcorum Patrum.

EX dictis sequitur, lapsum fuisse Clichouæum in cap. 1. lib. 1. de fide Damasceni, cum ait in hæc verba: Et ob huiusmodi differentes proprietates, personalis inuenitur in diuinis perfectio: non quidem secundum naturam, sed secundum rationem originis. Nam principaliter est existendi modus patris, qui a nullo est, quam ceterorum duorum, qui ab eo sumunt originem. Vbi non contendit, ut recentiores aliqui autumant, adstruere in Deo tres perfectiones relationas, sed secundum phrasim Græcorum Patrum concedere aliquod genus excellentiæ secundum originem, qua una persona alteri antecellat. In quem sensum Græci Patres appellant Patrem maiorem Christo, iuxta illud Ioan. 14. *Pater maior me est: nam secundum essentiam dicunt esse æquales, quæ ratione intelligunt illud ad Philippe 2. de Christo, Esse se æqualem Deo.* Sic interpretantur illud Ioan. 14. Nazianze. orat. 35. quæ est 3. de Theologia, à numero 57. Athanas. orat. 2. contra Arianos, longe ante finem, Basil. libro 4. contra Eunomium, cap. de hoc dicto Euangelij, Origenes homil. 2. in diuersos, quæ habetur 2. tomo, imo & Damascen. lib. 1. de fide capite 4. qui dicunt, Patrem appellari maiorem, non natura, sed proprietate. Notat autem Athanasius non dici maiorem, sed maiorem, quia melior refertur ad essentiam, maior autem priorita-

tem originis, & causæ, etiam denotat cum identitate naturæ, & æqualitate. Idcirco Hilarius, qui ex Latinis 9. de Trinitate, longe à medio, sequitur sententiam Græcorum, sic ait: *Maior utique Pater est, dum Pater est: sed Filius, minor non est. Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem vero Filius esse natiuitatis natura non patitur: ac si dicat, ratione proprietatis, non naturæ Pater est maior, id quod expressit, cum dixit: Natiuitas (hoc est, origo) Filij Patrem constituit maiorem.* Et eadem ratione debet Hilarius concedere filium esse minorem: quia maior, & minor relative mutuo dicuntur: sed quia filius non est minor essentia, & natura: ideo subdit: *Minorem vero esse filium, natiuitatis natura non patitur: non dixit, natiuitas non patitur, sed natiuitatis natura non patitur, nam sicut dixerat, patrem constitui maiorem natiuitate filij, cogebatur concedere, eadem natiuitate constitui filium minorem, quia hæc reciprocatur: dixit ergo, natiuitatis natura, ut indicaret, nec filium esse minorem, nec patrem maiorem naturæ, & substantiæ, sed sola natiuitate, ratione enim primi principij, quia est author sine auctore, Patrem appellat maiorem Phæbadius in libro contra Arrianos, post medium qui habetur tomo quinto Bibliothecæ sacræ. Ego sane puto Græcos patres, & Hilarium nomine maioris non aliud significasse, quam priorem, ut ratione originis, vel causæ, ut ipsi loquuntur, appellarent Patrem maiorem, hoc est, priorem: & Filium minorem, hoc est, posteriorem. Quomodo vero illud testimonium Ioan. 14. *Pater maior me est, referatur ad humanitatem Christi, & qui Patres ita intellexerint, dicemus 3. part. quæstio. 20. artic. 10.* Hoc eodem sensu Nouatianus libro de Trinitate, in fine dicit, Filium æternum subiectum esse Patri, & idem Filium accepta ferre Patri cuncta sua subiecta. Et eadem ratione non pauci Patres Græci & Latini, quos referemus infra quæstio. 4. artic. 6. dicunt Filium fuisse ministrum Patris in creatione rerum, & alia huiusmodi, quibus prioritatem, & dignitatem originis in Patre denotare solum voluerunt.*

Verum enim vero propter hunc modum loquendi Græcorum Patrum non debet asserere Clichouæus, esse dignitatem, hoc est, excellentiam inter personas: sic enim vnâ videtur facere digniorem, & maioris authoritatis, quam viliam, quod nequaquam concedi potest: cum huiusmodi loquendi non solum prioritatem originis, sed etiam maiorem dignitatem naturæ significet. Nam licet Damascen. libro 1. de fide, cap. 11. dicat in Deo esse perfectionem personalem, id tamen non asserit comparatiuè inter personas, quasi vna perfectior, seu dignior sit alia, ut putauit Clichouæus, sed quia natura diuina intelligitur perfecta suis personalitatibus, ut supra cap. 2. monstratum est. Quare idem Damascenus eodem lib. 1. cap. 9. sic ait: *Quo fit, vto minus, quæ 2. habet, filij sunt, hoc vno excepto, quod vnigenitus non est, quæ quidem vox nec natura diuina, nec dignitatem, & auctoritatem, sed existendi modum indicat.* Quibus verbis ostendit proprietatem ingeni, ratione cuius postea in eodem capite dicit, patrem esse maiorem filio, non significet, patrem esse maiorem filio, non significet dignitatem, seu auctoritatem: intelligit autem naturæ, sicut proximè dixerat, non significare creaturæ naturæ. Et idem nullus Patrum vitæ huius

modo loquendi, Pater dignior, seu excellentior est filio, vel maiorem, quam filius habet auctoritatem, quamuis aliqui dicant vnam personam esse dignitate priorem alia, vt infra disput. 168. videbimus. Non ergo debuit Clithouus concedere esse principalem, seu perfectiorem modum subsistendi vnius personae, quam alterius; quia haec verba non prioritatem originis, sed maiorem dignitatem, & excellentiam personae significant. Ex quibus etiam constat testimonio illo Damasceni de fide, cap. 9. nihil probari, contra id, quod cap. 2. diximus, nempe relationes personales ad perfectionem Dei pertinere.

CAPVT VI.

Verior sententia.

Multo verior opinio est, relationem personalem esse quidem perfectionem Dei, & tres relationes realiter distinctas ad perfectionem ipsius pertinere, sicut probatum est, cap. 2. non tamen esse tres perfectiones reales, etiam si relationes, nec aliquam perfectionem realem esse in vna persona, quae non sit in alia; quae sane sententia, si recte à nobis explicetur, difficultatesque aliquae illius explanantur, multo magis sincere, & digne de personarum perfectione, & aequalitate loquimur, quam praecedentes. Eam sequuntur Canariensis in hunc art. disputatione 7. p. 2. in argum. post quartam conclusionem, Maior in 1. d. 33. q. 1. ad 2. & ex parte Caietanus, vt infra referemus, Duas vero habet partes, vna est, relationem personalem ad perfectionem Dei pertinere: haec autem satis probata est contra primam sententiam, cap. 2. huius disputationis, in qua cum Gabriele & alijs, qui secundam sequuntur, conuenimus: altera est, has tres relationes reales in Deo non esse tres perfectiones; ac proinde non sequi, aliquam perfectionem esse in vna persona, quae non sit in alia; quae, vt magis fiat perspicua, proponenda est contra eam ratio, quae illi magis videtur ob stare, in hunc modum. Quilibet relatio, prout ab essentia distinguitur, est verè relatio realis, ac proinde ens reale, multiplicato autem inferiori, multiplicatur superior; ergo, si sunt tres relationes reales realiter distinctae, erunt etiam tres res, seu tria entia, seu tres entitates; atqui perfectio, seu bonitas est etiam praedicatum superius, ergo illa quoque erit triplex. Hinc vero manifestè sequitur, perfectionem aliquam, esse in vna persona, quae non sit in alia, sicut supra cap. 4. dicebamus.

Huius difficultati respondent Canariensis, & Maior loco allegato, esse quidem in Deo tres relationes reales realiter distinctas, non tamen tres perfectiones; quia multiplicatio in Deo fit solum per relationem oppositionis; perfectio autem non est nomen relationum, sed absolutum, sicut bonitas; ergo non debet multiplicari, multiplicatis relationibus. Hinc colligit Canar. tres relationes in Deo esse vnicam perfectionem realem, sicut sunt vna essentia; hoc autem non videtur difficilius, quam concedere tres relationes realiter distinctas in eadem numero natura, & multiplicari relationibus, non multiplicata natura, quia in relationibus est oppositio, quae sola est causa multiplicationis; in essentia vero nulla est, neque in bonitate & perfectione. Quod si hoc modo rectè ostendatur, tres relationes esse vnam solam perfe-

ctionem, sequitur apertè nullam esse in vna persona, quae non sit in alia. Hoc eodem modo Philosophantur Caiet. 3. par. q. 3. art. 1. de diuinis personarum relationibus, vt cap. 1. huius disputationis notauimus, cum inquit, eas quidem esse infinite perfectas, sicut sunt personae, quia sunt subsistentes, sed esse vnicam tantum in eis perfectionem, nempe, essentiam; & ita non sequi, quod contendebat Scotus, videlicet esse vnam perfectionem in persona, quae non sit in alia.

Haec tamen explicatio, & doctrina difficultatem propositam non tollit; quoniam si relatio, quatenus ab essentia distincta, in nostra praesentim opinione, quae dicit conceptum essentiae non esse de conceptu relationis, vt praecedenti disputatione diximus, est res quaedam & entitas; & sicut dicuntur tres relationes realiter distinctae, tres res: fit, vt etiam hac ratione relatio quaecumque sit perfectio distincta ab essentia: sicut ergo dicuntur tres relationes, dicuntur tres perfectiones & bonitates, siquidem multiplicato inferiori multiplicatur etiam superior, & sicut res est superior relatione, sic etiam bonitas, seu perfectio, quae est passio entis & rei. Quare quamuis tres relationes sint idem secundum rem cum essentia, & eadem secundum rem cum illa habeant perfectionem; quia tamen haec identitas nihil obstat, quominus dicantur tres relationes realiter distinctae, non obest, quo minus dicantur tres etiam perfectiones; cum formaliter qualibet sit perfectio, & non includat perfectionem essentiae. Praeterea ratio Canariensis, parum roboris habet, videlicet idè esse tres relationes realiter distinctas, quia multiplicatio fit secundum oppositionem relationum; idè autem non esse tres perfectiones, quia perfectio est quid absolutum, & secundum absolutum non fit multiplicatio; haec ergo ratio infirma est, quoniam perfectio non est, quid absolutum, sicut nec res, aut ens, sed est commune absolutum & respectuum, quod appellamus transcendentem, & multiplicari potest multiplicato inferiori; alioquin non possemus dicere, in Deo esse tres res, aut tria entia, quia non minus abstrahitur à relatione & absolute perfectio, & bonitas, quae sunt passio entis, & rei, quam ipsum ens, & res.

Vtigitur hanc difficultatem explanemus, obseruandum est primo, bifariam posse perfectionem usurpari, vno modo pro integritate rei, in qua consistit formaliter ratio bonitatis, quae constituitur passio entis, vt monstrauimus disput. 23. c. 4. sicut etiam res dicitur perfecta, & bona, quae integra est, de qua multa in ea disp. diximus. Altero modo perfectio dicitur, quidquid ad integritatem alicuius pertinet, & ipsum integrat, & perficit, vt consentaneum & conueniens; haec autem non ponitur passio entis, vt ibidem cap. 2. ostensum est; nec enim conuenit omnibus rebus respectu omnium: nihilominus cum nihil sit in Deo, quod ei non maximè conueniat, nihil erit, quod non sit perfectio illius hoc posteriori modo.

Secundò ad hoc, vt aliqua sit perfectio realis priori modo, satis est esse integritatem rei alicuius existentis; nec oportet à re, cuius est integritas, distinguere ex natura rei; nam bonitas, quae est passio entis sola ratione differt ab ente, cuius est passio, vt eodem cap. 6. probauimus. At vero, vt aliqua sit perfectio realis alicuius rei posteriori modo, ne-

19.

20.

Duplici
perfectione
accepto.Ad priorem
perfectionem
non requi-
ritur distin-
ctio realis,
requiritur
vero ad po-
steriorem.